

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio de statione solis, ad Jos. X, 12. 13. 14.

**Abicht, Johann Georg
Werchau, Johann Gottfried**

Lipsiae, 1713

§. I.

[urn:nbn:de:bsz:31-130599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130599)

§. I.



A nostri seculi fere est indoles, ut in antiquis scriptis & factis interpretandis ratio respiciat, quid sibi verosimile videatur, non vero quid verba scriptorum dixerint, unde factum sapius, ut miracula rationi non pervia, in sensum trahantur, non tam primis scriptoribus, quam rationi & cogitationi nostræ convenientem. Ne vero nostras meditationes antiquarum sententiarum loco vendamus, ponenda nobis hæc erit regula, ut in scriptorum sacrorum verbis, tanquam in speculo haud fallaci antiquorum mentem contemplemur, & pictorum more nostris verbis eandem delineemus & depingamus. Hoc imprimis nobis observandum esse intelligimus, qui Solis & Lunæ Stationem admirandam ex antiquissimi scriptoris verbis, describere constituimus. Legitur illa CAP. X. JOSUÆ vers. 12. 13. 14. paucis verbis relata, & a variis ex hypothefibus & præjudiciis receptis varie explicata. Peccant Judæi, multa ut videri volunt, ex traditionibus addentes: peccant Mathematici, qui Josuæ sententiam affingunt, de qua nunquam cogitavit, vel cogitasse nunquam probari potest. Evolvemus itaque singularum vocum sensus, aliis scripturæ locis & antiquissimis interpretibus probatos: inquiramus sensum sepositis aliorum explicationibus, quas tamen non negligemus, si recto tramite procedant. Potentissimum Numen, cui hoc miraculum tribuimus, largiatur vires, quo illud eo sensu describamus, quo a potenti ejus manu patratum est, in ejus laudem & fidelium solatium.

§. II.

Josua cum Gibeonitis fœdus inierat, invito Rege ipsorum Adoniseco, eosque non solum inter Israelitas habitare concesserat, sed etiam contra hostes defendere permiserat. Hoc ægre tulit Adonisecus, Rex Hierosolymorum, qui